





**PRORECTOR**  
**ACADEMIAE VITEMBERGENSIS**  
**HENR. LEONARDVS**  
**SCHVRZFLEISCHIVS, D**  
**HISTORIARVM PROFESSOR PVBLICVS**  
**CONSILIARIVS SAXO VINARIENSIS ET**  
**PRINCIPALIS BIBLIOTHECAE**  
**DIRECTOR**  
**CIVIBVS ACADEMICIS**  
**S. P. D**

81

**P**Recabamur bene genti Bebeliae, quae Dann-  
hauerianae necessitudinis memoria nos commo-  
uebat, et sedibus suis excita, ex urbe Tribocco-  
rum principe commigrauerat in Saxoniam, ut huic lu-  
men impertiret, quod a uirtute famaue **BALTHA**  
**SARIS** Alsatia capiebat. Familiam, generis paterni  
maternique meritis atque ornamentis cumulatam, ho-  
spitio lubens accepit Vitemberga, et collocatam in  
gradu praecipuae dignitatis, coluit in primis, stipen-  
diumque **BEBELIVM** discipulorum, qui confluebant  
undique, frequentia et comitatu laeta conspexit, et  
uel pro sanctioribus rostris diuina interpretantem o-  
racula, uel, aduocata eruditorum concione, differen-  
tem, audiuit cupide, ac mirata est, tantoque luxit a-  
cerbius, cum doctor, omni laudis facultate praestans,  
subita atque inopinata morte spei expectationique,  
quam exquisitae delectu disciplinae concitauerat,  
maximae auferretur. Grauis hoc casu acceptus est  
moeror, quem dies aegre mitigauit, et tanti nominis  
recordatio hoc certe tempore non parum refricat,  
quo desideratissimi mariti persecuta iter, decedit **SA-**  
**LOME BEBELIA**, tanto quondam coniuge digna,  
et hoc excessu afflictis familiae rebus, quod relictum  
erat praesidii, eripit, ac suos, de quibus bene mereri  
desistit nunquam, afficit dolore, uehementerque con-  
turbat. Susceptam Argentorati, anno superioris se-  
culi quinto et quadragesimo, tertio Eidus Ianuarias,  
**ANDREAS THVRMANNVS**, ortu Pomeranus, in  
aula Palatina Birckenfeldensi antistes sacrorum, quoad  
huic muneri praesuit, summa religione, et fide, et  
**ANNA BARBARA**, natalibus **DANNHAVERIA**, omni,  
qui cadat in bonos parentes, amore, curaque comple-  
xi sunt, eadem tamen alterius patris exemplum pieta-  
temque perspexit in auunculo, **IOANNE CONRADO**  
**DANNHAVERO**, Theologo, ut laudandi campus aperi-  
atur,

atur, uel nominando. Ab hoc in familiam ascita et adoptata, filiae locum caritatemque obtinuit, et sanctis integrisque instituta moribus, atque in ornamentum sexus sui non fastu et leuitate, sed composita agendi ratione erudita et culta, decus, quo maius a parentibus aut consequi, aut optare non poterat, accepit, tantumque ad extremum uitae diem adamata est, ut omnium, quae reliquerat ille, bonorum scriberetur heres. Spectata erat commendatio uirginis, ad ueram, neque seculi artificio simulatam, excultae elegantiam, et prudentissimum quemque recti moris existimatorem sibi conciliabat, sed fato uni debebatur, obtingebatque Balthasari, hac tum fortuna ufo, ut praecedentis seculi anno altero et sexagesimo, duodecimo Kalendas Martias, idem eodem die et summi in sanctiore disciplina honoris, et connubii sacris initiaretur. Bene cessit utrinque consilium, et mutuo amore certarunt coniuges, nec magis foedere, quam animo sententiaque coniuncti, et auxerunt rerum secundarum: uoluptatem, et aduersarum molestias facile sedarunt. Nec uero stirps utriusque generis defuit, procreatis septem filiis, et quinque filiabus, nec tamen clade domestica caruit, quatuor filiis, duabusque filiabus, uitam cum uix attigissent, amissis. Liberorum desiderium lenierunt, qui superstites sunt, tres filii, IOANNES BALTHASAR, IOANNES CONRADVS, CHRISTIANVS GEORGIVS, quorum unus regendis Vedderkoppiorum fratrum studiis, in Cimbris, ab illustri Patre praefectus est, morum doctrinaeque cultu, multis et literis, et peregrinationibus, parto atque aucto, ampliore fortunam diu multumque meritis, alius sacerdos Barrensis in agro et ditione Argentoratensi, magna et uitae integritate, et muneris diligentia, tertius apud nos commoratur, comparatiusque doctrinae, quam explorauerit acrius ingenium, praesidiis, ad lauream artis fa-

tis salutaris, breui capeffendam, feliciter aspirat, probitate, moris humanitate, scientia, industria, nobis omnibus merito commendatus. Suauitate etiam sua, obsequioque affuerunt matri tres filiae, MARIA SALOME, SVSANNA BARBARA, et CATHARINA, quae consuetudine sua illius taedia sollicitudinesque temperarunt, et uel morbo languentem, uel aliis afflictam incommodis, recrearunt pietate, alloquioque refecerunt, tertia quoque ANDREAE RITTERO, Doctori, et Antistiti Rugensi, nuptum data, nepte, IOANNA FEDERICA exhilarauit. Laude nostra non eget Bebelia, quae sanctae et grauis, atque ab ludicris aevi rebus alienae, exemplum matronae praebuit, neque in officio uel colendi Deum, uel amandi coniugem, uel educandi liberos, quicquam reliqui fecit, et conscientia obsequii, quo maritum sequebatur ducem, contenta, Alsatiarum, atque Argentorati delicias Vitembergae ne requisuit quidem, et uel communem temporum iniquitatem, uel domesticam calamitatem constantia, mulieris ingenio subinde maiori, sustinuit identidem, tandemque melioris, et felicitioris uitae auspicio superauit. Stabat ei dies, qui finem malis omnibus afferret, sextus Eidus Maias, quem non extimuit, sed aequo placidoque animo expectauit, superioribus diebus plenioris intestini doloribus, et uomitione tentata, sed liberata tantisper, dum morbus, cum uehementiore omnium, quae sumebantur, reiectione redintegratus, uires conuelleret medicinae, quam pariter cum filio adhibebat medicus, diuturno usu exercitatus, D. Ziegri, et ipsa sopore, cum resolutione neruorum ingrauescente, sopiretur. Nos fortunam miseramur familiae, parentibus orbatam, eique ut praesidio sit Deus, comprecamur cum bonis omnibus, atque ut funus, quod hodie HI pomeridiana efferretur in aedem Marianam, ibique publica, et saluari uoce Venerabilis Patris, atque Antistitis, CASPARIS LOESCHERI, cohonestabitur, frequenti conuentu deducatis, uos, CIVES, per memoriam, et merita, Bebeliani Dannhauerianique nominum cohortamur. P. P. III Eid. Maias, qui est in ordine sacrorum factorum, Dom. IUBILATE


CIO IO C C X

Ung VI 3

W 18  
V 17







RECTOR  
 VITEMBERGENSIS  
**LEONARDVS**  
**FLEISCHIVS, D**  
 PROFESSOR PVBLICVS  
 SAXO VINARIENSIS ET  
 LIS BIBLIOTHECAE  
 DIRECTOR

**ACADEMICIS**  
 S P D

